

Arte tamen Medicâ superans discrimina lethi.  
 Finibus in Portæ, nomen cui finxit Arena,  
 Est mola, currenti quæ circum pellitur undâ.  
 Hac fabricant latebras per amica silentia Lunæ,  
 Brouverijq; hortos, vicinaq; strata viarum  
 Portæ, quæ Divi de nomine dicta Iacobi,  
 Perfodiunt alacres, tandemq; in limine fossæ  
 Constituunt belli sedes, ac fulminis æra.

Obsistunt operi magno conamine Cives.  
 Dant letho CLOTHVM præstantem Marte Tribunum,  
 CORDIACVM QVE Ducem peditum, quem Gallia mater  
 Miserat in Sueones. FRISIUM pectus ADAMI  
 Trajiciunt Urbe explosi magno agmine glandes.  
 Plurimus ex vallo miles demittitur Orco.  
 Saucia multa jacent telorum corpora nimbo.  
 Sed constans Sueonum perrumpit nubila virtus,  
 Statq; manetq; loco, concedere nescia morti.  
 Fossæ tutatur limen; Nec inulta suorum  
 Funera dat terræ. Statuuntur limine in ipso  
 Æra, haud ab simili Mortaria dicta figurâ.  
 Hæc patulo ferrum, atq; immania pondere saxa  
 Ore vomunt, teretesq; globos, cavitate tremendos  
 Sulphureâ, piceâq;. In vallo hinc protinus Urbis,  
 Perq; domos, ac strata ingenti missa fragore  
 Saxa ignesq; volant; disruptaq; ferrea pila  
 Vulnèra permiscent letho, domuumq; ruinam.  
 Nullus in Urbe locus, tali qui tutus ab ictu.  
 Horror ubiq; animis, & plurima mortis imago.

C

Atq;

*ad fossâ  
 Urbis pro-  
 moventur.*

Resistunt  
 Rigenfes.

Sed perdu-  
 rant Suedi.

Mortaria,  
 pyroboli  
 &c.  
 Urbem in-  
 festant.